


Est acerba, in hac terra fero dolores maximos;
 Quid si iam amplius tolerare et pati graver?
 Non possum diutius; audite sultis, o dii!
 Iam mihi certumst, ubi legatus ad me venerit
 Et virum meum ex senatus decreto Karthagine
 Relictum captivom manere nuntiaverit,
 Exuturam med ecastor huius vitae vinculis.
 Ast ubi cessat Publius? Etiam nunc isti dormiunt,
 Orbi, sicut ego sum vidua; sed conquiescunt tamen.
 Serani, Muci surgite! at istos gnatos miserabiles
 Num rectumst excitarier? eone processi audaciae,
 Ut etiam gnatorum invideam meorum somniis?
 Indignum! dormite placide; quietem somnus habet.
 At odiose cessat. Fili mi, tu vir es atque homo
 Atque ut illi omnes mortales, sic tu sentis parum
 Neque opinaris, quanto hic ego dolore supprimar.

SCENA II

PUBLIUS, CRISPUS, SEXTUS

PU. Vosne estis, amici? — CR. Ipsam pol, tribune rem tenes.
 SE. Hodie, Publi, vocas nos temperi. — PU. Brevis
 Est viro dies operoso, qui in re occupatust maxume,
 Mihi vero dies hic est nimis maxume memorabilis.
 SE. Ad summam spem med erexit et impensis modo
 Gaudeam, Publi, si tales te tribunum noverim,
 Quales fuerunt illi defensores civium.
 Studesne superbū illum suisque confidentem viribus
 Senatum virili tua fortitudine ac virtute circumscribere?
 Si res, amice, sic se habet laudandum sit tui
 Magistratus initium atque ego sane tecum adiuven.
 PU. Hoc ipso die fortuna vitae disceptat meae.
 CR. Itaque libertas tui patris ad sortem revocabitur?
 PU. Video nos inter nos consentire; quare maxumas
 Gratis ago tibi. Quas, amabo, servus iste fert,
 Tabellas fige sis sine mora in Capitolio.
 SE. Inspiciendum puto, quae sint in istis scripta tabulis.
 PU. Lege sis, Crispe. — CR. Legat Sextus intellegens.
 SE. «Ego Publius tribunus plebeius Quiritibus
 Salutem nuntio bonaque cupio omnia.
 Karthaginenses in custodia habent Regulum,
 Gloriam qui vostram bellicam multis in proeliis
 Ad caelum evexit, quo vos fuitis superbi viro,
 Quem merito amavistis maxume omnium.

(Ad proximum numerum).



Pauca exemplaria supersunt

JOSEPHI FORNARI operis, cui titulus:

COMMUNIA VITAE

Phrases et formulae ad latina colloquia instituenda.

Editio altera locupletior.

Venit libell. italic. 8; quibus addendae erunt libell. 0,50 in Italia; libell. 1 apud exteris nationes, pro transmissionis expensis.

Praeterea

Apud Commentarii Administratorem venumdantur eiusdem auctoris Mile-siae fabulae latine scriptae scenisque accommodatae apud ephebea facile agendis:

FRIDIANUS-FRANCISCVLI PRANDIUM

Singulae pretio italic. libell. 2.

(*Iis vero qui extra Urbem hos libros mitti iubeant, addendum erit publici cursus pretium, iuxta normam libell. 0,60 pro singulis exemplaribus.*)

Pro lectoribus novisque sociis, qui **integram ALMAE ROMAE collectionem** habere cupiant ab anno MCMXIV ad expletum annum MCMXXXV, paucorum exemplarium quae supersunt pretium constituimus libellorum 525 pro Italia; pretium duplicatum, libell. italic. scilicet 1050, pro exteris gentibus.

Hae vero collectiones, adiecta in litteris pecunia per nummariam syngrapham in Urbe exigendam, *recto tramite* requirendae sunt ab **ALMAE ROMAE** administratore (*Roma, 12, Via del Governo Vecchio, 96*): quod enim pretium positum est, non sinit ut foenus aliquod bibliopolis, vel mediatoribus quibusvis rependi possit.

ALMA ROMA

LATINITATIS PRAECONIUM SINGULIS MENSIBUS EDITUM

Pretium subnotationis an. MCMXXXVI est pro Italia libell. 15; pro ceteris nationibus summa italicas lib. 30 exaequahs; ante solvendum recto tramite mittendum sive ad JOSEPHUM FORNARI doctorem Romam, Via del Governo Vecchio, 96 sive ad Typographiam Polyglottam Vaticanam, Città del Vaticano.

“ALMA ROMA”
IN ANNUM MCMXXXVI

Post annos vitae nostrae expletos XXII, non est profecto quod novum annum ineuntes consilia et proposita nostra fuse declaremus, eoque magis quod in superiore mensis Decembris fasciculo occasio nobis praebita fuerit ea revocandi. Totius itaque rei summam attin gere satis erit, quae sic enunciari, ni fallimur, potest: Necessitati occurtere voluimus, quae impellens in dies reapse facta est, latinam linguam tamquam sermonem inter viros doctos communem et universum restituendi. Atqui ab intelligentia sensuque disiunctum omnino apparet, ipsos, qui altiorum studiorum curriculum inter latinas litteras sunt emensi, a latini eloquii et styli proprietatibus longe aberrare posse et debere, imo etiam novam latinitatem suo nutu creare, quae suae cuiusque linguae plus minusve usque eo accedat, ut vel proprio hodierno vernaculo syllabas et voces quae casus habeant in exitu similes agglutinent. Huiusmodi dici nequit latinae linguae instauratio, sed quam alias appellavimus Babelicae turris renovatio, quippe tanta oritura sit confusio, ut aliis alium intelligere minime valeat.

Oportet igitur in primis ut studium latinitatis, cuius sermo est naturalis significatio, apud omnes, publice ac privatim, nunquam intercipiatur, quin etiam in flore servetur, vitalique lympha sustentetur assidue, non modo auctorum lectione, sed verborum apud lexica diligenti perscrutatione; ex qua insperata neque prius credibilia auxilia ad res vel hodiernae vitae communia exprimendas edacentur.

Quae autem nova sunt, neque relationem ullam cum antiquis habere reperiantur, pro his utique nova verba creentur; sed maxime e graeco fonte hausta, quemadmodum pro plurimis scientiae inventis iam vulgo factum est — (quod quidem intelligentiam expeditiorem efficit); — de ceteris eae cautions adhibeantur, quae satis hisce quaesitis respondeant: Quomodo latinus homo id dixerit? — Quod ego propono a latino homine comprehensumne fuerit?

Neque dubium est quin ad feliciorem effectum assequendum coetus virorum doctorum latinam linguam, latini sermonis intimam vim, formam et rationem optime callentium, perutilis ad rem sit evasurus; quem igitur iterum iterumque invocamus. Quod si nondum in eo simus, ut statim constitui possit, statuatur saltem centrum, tamquam palaestra, in qua periculum, ut ita dicamus, nova proposita vocabula faciant; palaestra, aut potius ludus, in quo docte, scienter, urbane eorum valor agitetur.

Quod si locus hic ALMAM ROMAM hanc nostram esse placuerit, libentissime eam ad rem offerimus; sitque id ad participandum operi nostro novum incitamentum. Quidquid vero futurum fuerit, nos, in via nostra persistentes, curabimus semper ut argumenta pertractantes, a litteris ad bonas artes et cuiusvis generis disciplinas, a seriis ad iocosa, re ostendamus latinam linguam, latinum sermonem ad omnis generis res exprimendas etiam nunc optime valere posse.

Auxilientur nos socii, qui in longo itinere nos comitati sunt, tum laboribus nostris suis scriptis participando, tum subnotatores novos apportando, qui vires nostras sustentaturi sint.

Cuius quidem subnotationis pretium est in Italia libellarum 15;

pro ceteris universi orbis nationibus summa, quae Italicas libell. 30 exaequet.

Communi huic subnotationi altera additur, quam *adiutricem* appellavimus, duplicato cuiusque subnotationis pretio. Inter *Patronos* autem Commentarii adscribentur qui summam italicas libellas 100 exaequantem miserint, vel socios quinque novos adduxerint.

Praeterea qui integrum ALMAE ROMAE commentarii collectionem, ab anno scilicet MCMXIV ad an. MCMXXXV inclusive, sibi cupiant, mittant lib. 525, si in Italia; pretium duplicatum, nempe 1050, si apud exterias gentes.

* * *

Pecunia autem omnis sive pro consociatione, sive pro fasciculorum collectione solvenda est sive apud doctorem JOSEPHUM FORNARI, « ALMAE ROMAE » Moderatorem, Romae, via del Governo Vecchio, 96; sive — idque fortasse exteris Sociis expeditius hodie fiet — ad « Typographiam Polyglottam Vaticanam », Città del Vaticano.

* * *

Denique has de subnotatione leges in mentem quisque sibi revocet:

1) *Consociatio sub anni exitum non retractata pro redintegrata habetur.*

2) *Qui ALMAE ROMAE specimina habuit, neque post fasciculos tres acceptos reddidit — (quod nullo impendio facere poterat; quae enim a publico cursu tradita recusantur, gratuito ea mittenti restituuntur) — tamquam socius valide reputabitur, ideoque ad solvendum annuae consociationis pretium tenebitur.*

Italiae Ingenium et officium

*Ingenium magnum simul et, Gens Itala, magnum
Officium pridem Fata dedere Tibi :
Roma, vias priscis stravisti gentibus olim,
Quae simul imperio iam coiere tuo.
Omnes terrigenum sensus ac fervida vota
Excipis in luctu laetitiaque libens.
Diligis et varios populos vultuque sereno
Cogis tu, Mater, conciliasque Tibi:
Multiplici frueris, pia Patria, munere vitae,
Tu genus omne virum religione tenes.
Ad Romam spectant populi, venerantur et omnes
Signum divino sanguine purpureum.
Libertate, pio Cultu radiante, fruuntur
Diversae gentes vasta per imperia.
Radicena in Calabris.*

FRANCISCUS SOFIA ALESSIO.

DE DRAMATIBUS EMENDANDIS

Spectaculorum assidua exhibito populi que ad ea invisenda tanta frequentia, quae in nostris moribus tam radicitus convalusse adnotavimus, hoc plane efficiunt, ut cuivis dramatum scriptori chirurgica veluti arma quodammodo tradant, quibus vel infesta venena, vel salutares lymphas iniucere in spectantium animos pro libito permittatur. Magni sane rem momenti videamus, et ipso sacri civilisque oratoris munere quasi graviorem — eo magis aetate hac nostra publicarum rerum incuriosa, ac religionis solemnium plerumque immemori — non eamdem ferme in publicis comitiorum aulis, neque in ecclesiis frequentiam quam in theatrorum caueis esse. Augentur haec ipsius artis excellentia; ut enim dramaticum carminum genus ceteris non modo antecellit, sed quasi in unum coacta profert, ita latius altiusque, admoto auribus, oculis, mente blandimento, consilia sententiasque

omnes, quibus fabula concepta est, infi- gendi animis vim habet, iuxta Horatianum illud :

*Segnus irritant animos demissa per aures,
quam quae sunt oculis subiecta fidelibus...*

Quod quum Graeci illi primi divinassent, qui ingenio prae ceteris pollentes, artem tragicam vel comicam a Bacchanalium choreis ad scenae dignitatem extollere con- tenderunt, ad morum tamen emendationem procurandam, ad legum observantiam suadendam, augendam, fovendamque tradi- tum sibi brevi senserunt potentissimum stimulum.

Neque sane nobis facile intellectu est quantus populi fremitus et clamor, quantumque totius caveae strepitus toties fuerint excitati, quum Aeschyli *Πέρσαι* age- rentur, nuncii persona invitationem illam in pugnantes ad Salaminam iterante (v. 402) :

*... Ω παιδες Ἐλλήνων, ἵτε.
έλευθεροῦτε πατρίδ', έλευθεροῦτε δὲ
παιδας, γυναῖκας, Θεῶν τε πατρών ἔδη,
θῆγας τε προγόνων' νῦν ὑπὲρ πάντων ἀγών.*¹

Tunc senum omnium iuvenumque adstantium turbas, tantorum verborum sonitu ac tantae memoria gloriae, patriam caritatem quasi incendii flamas in corde flagrantem, elatumque veluti tubae clangore animum experiri necesse fuit.

Neque a civilibus his longe dissimiles intentus comoedia habuit; Aristophanis enim sales ac dicacitates nonnisi in vituperanda virtus vel in tuendas patriae consuetudines directa sunt, cuius inter drama- mata pulcherrimum illud, cui *Ai Νεφέλαι* titulus, ut Deorum immortalium religionem tueretur, quam a Socrate labefactatam putaverat, notissimum est.

Exempla haec singulis qui ingenio ad rem polleant monimenta sunt, ut emenda- tionem illam spectaculorum, quae in votis

¹ « O Graeciae filii, ite, liberate patriam, liberate pueros, uxores, deorum patriae tempia et sepulcra maiorum; nunc pro omnibus pugna est ».

est, assequamur, hodiernamque ex iis per- niciem avertamus omnino; mediaque indi- gitant, quibus id planius obtineamus, quamvis nonnisi humana fingentes et cuivis vel rudi ingenio satis aperta.

Noverant enim viri altissimo donati ingenio, non id satis esse poëtae, ut cuius- vis rei pulcritudinem, lectissima quamvis forma, ad blandimentum civibus praesta- rent, absque ulla morum utilitate, immo- cum facili detimenti periculo. Quae qui- dem nos, Christi nomine aucti, acrius te- nere sanctis religionis praeceptis obstrin- gimus; non enim artium cultoribus datum est privilegium, ut nonnulli hodie stulte contendunt, pulcritudinem hanc sensibilem excolendi, nullis obstantibus legis vinculis, ipsisque spretis limitibus, quos natura in turpium foedarumque rerum obscenitate constituit.

Una forte pulcritudo est et illecebrarum et periculi expers, quae non terrestrium adspectu, sed ex ipsa caelestium rerum contemplatione manat, quam ferme Theresia interdum in sui vita a se scripta exquisita forma retulit, vel Aligherius noster aliquando, in *Paradisi* praecepit carmine, huc vel illuc attigit; sed ea Beatrix est, cuius verba exprimere paucissimis, intel- ligere vero indeque delectari nonnisi se- lecto agmini datum sit.

Grex humiliora quaerimus ac terrae magis proxima, vitaeque, quam quotidie vi- vimus, propius accommodata.

Haec itaque quum dramaticus poëta ve- nustatis amore vel gloriae cupiditate suc- census effingere aggrediatur, sciat nonnisi vitali aliquo morum alimento sibi esse con- dienda, ut conclusus caveis populus ali- quantulum saltem eductus et morali quadam arrepta utilitate discedat: his officiis poëtae munus sacerdotio quasi comparatur.

Quae sane praecepta maxime semper secuti sunt, in veneranda antiquitate, Aeschylus, Sophocles, Aristophanes, Menander; recentioribus vero saeculis, Cornel-

lius, Racinius, Molierius, Shakspearius, Calderonius, et Alferius et Ferrarius no- stri.

Qui quum vel Macbethi flagitia conscientiae angoribus et calamitatibus castigata, vel Ataliae crimen divina fractum vindicta, vel falsam religionis speciem simulantes vituperatos, vel superbiam Saul regis amen- tia ac furore disiectam, suis quisque insig- nibus operibus protulerunt, moralis civili- lisque prudentiae splendida insimul edide- runt documenta. Nec Gallus ille praeter- eundus est, inter dilabentis XIX saeculi dramatum scriptores forte peritissimus, cuius inter comedias fabulas pulcherrimam plurimi censem illam, qua *Rabagas*, efficti nugivenduli persona, civilem tum regen- darum civitatum morem acerrime est insec- status.

Nunc itaque, postquam plures veteres populi, Graeci, Itali, Germani, in unitatem restituti sunt, civilis libertas parta, iura- que et leges omnibus aequa constituta, quae omnia tot iam praecones sub fabu- larum velamine in scena propugnaverant, illum velim maximum inter dramaticos poëtas salutare, qui opificibus, agricolis, et egenis omnibus, quos fames torquet et falsa philosophorum doctrina stultis ef- fatis pervertit, arte subveniat; qui christia- nae societatis debita et iura, et, quae omnis generis malis ab Evangelio proferuntur re- media, potentissima scena efficacia pro- ferat, carminumque admota virtute, optime populos adhortetur, indigitans quibus potius virtutibus aerumnarum huius vitae causae expelli, quo potius fonte solatia attingi possint.

Poëtam adprecor, qui nostrae huic lati- nae soboli, cuius non impar imminent cala- mitatum pondus quam transactae gloriae cumulus est, patrum res gestas ex longa obliuione iterum in oculis ad vitam susci- tet, ut nepotes viva memoria acrique pu- dore excitentur.

Genium hunc tutelarem quasi exspecto,

qui, mutuatis ex vita miserrimis vitiorum effectibus, mores emendet, perversos animi motus insectetur, auri hanc insatiatam famem, qua stulti incendimur, vituperet, animos altae strenuaeque virtutis exemplis confirmet.

Neque tamen suos desit amori locus; nam, etsi malis saepe cupiditatis illecebris in nefas omne ruere homines videamus, sunt, nec quisquam ignorat, ingenuae et castae pulcritudini validissimi in nos traditi stimuli, quibus interdum ad bonum quodvis assequendum per aspernum quodque iter impellimur. Tunc enim cuiusvis virtutisflammam purus integerque amor in homine incendit, quamvis non raro optati praemii spe omnino destitutus.

Ad quae profecto id unum satis sit memorare, quod Gallus Rostand, lectissimi ingenii poëta, nobili stylo dictavit drama *þulcherrimum*, cui *Cyrano de Bergerac* nomen imposuit.

Opus enim tum morum saeculi decimi septimi studium ac perspecta scientia, tum rursus conficiendi ars exquisita optimum fecerunt; at una p[ro]ae omnibus laboribus pretium est principis actoris persona, qui nobilissimo amore, quamvis infausto, accensus, latini animi altam indolem generosamque virtutem ad maximum usque sacrificium perducit. Hinc et apud nostros et apud Iberos praecipiu[m] insolitusque operi favor, quo ferme virtutum omnium, quibus media, quae dicitur, aetas suos equestri ordine auctos milites praeeditos voluit, specimen carissimum evocatum prae oculis viderimus.

Late igitur optimi consilii viris panditur via firmo terenda gressu ad spectacula in reipublicae salutem emendanda, insignaque exempla animos ad inceptum erigunt. Ad quorum tramitem si nova dramata effingantur, nulli amplius improbanda erunt quod corruptelam foveant, sed, uti Cyranus ille de vita, ita et ipsa de scena « *immaculata intactaque crista* » discedent.

I. ANTONELLI.

DE LUDIS DISCENDI APUD ROMANOS

Dicenti mihi de ludis discendi apud Romanos a primis vetustissimisque litterarum initiosis incipiendum esse videtur. Tradit Plutarchus, in Romuli vita, ipsum cum fratre Remo in Gabii ludos, ut litteras disceret, missum fuisse; et Livius, quum Appii Claudii facinus enarrat, ait: « Virgini venienti in forum (ibi namque in tabernis litterarum ludi erant) minister decemviri libidinis manum iniecit, serva sua natam, servamque suam appellans esse »,¹ itemque Livius: « Mos erat Faliscis eodem magistro liberorum et comite uti; simulque plures pueri, quod hodie quoque in Graecia manet, unius curae demandabantur; principum liberos, sicut fere fit, qui scientia videbantur praezellere, eruditiebat. Is quem in pace instituisset pueros ante urbem lusus exercendique causa producere; nihil eo more per belli tempus intermisso, dummodo brevioribus modo longioribus spatiis trahendo eos a porta, lusu, sermonibusque variatis longius solito, ubi res dedit progressus, inter stationes eos hostium, castaque inde romana in praetorium ad Camillum perduxit ».²

Et Camillum in Tusculum ingredientem testatur noster audivisse « ludos litterarum strepere discentium vocibus ».

Haec scholarum apud Romanos crepuscula fuere. Quae autem ibi pueri discabant? Fere ignotum est; sed ex sequentis aetatis disciplinis nobis inferre licet, legendi, scribendi, ac numerorum artem edoceri. Tunc enim tantum ad eloquentiam aliaque maiora studia iuvenibus aditus patet, quum praetextatis, comitante patre, forum senatumque adire licuerit.

Hoc Cicero comprobat: « Cui disciplina fuerit forum, magister usus, et leges et

¹ Hist. U. C., lib. III, cap. 44.

² Id., ib. V, cap. 15.

instituta populi romani, mosque maiorum ».³ Idemque Aulus Gellius testatur.⁴

At non solum quas supra commemoravimus artes erudiebantur iuvenes, verum etiam, ut ex aliquot scriptorum locis liquet, leges XII tabularum discebant et carmina maiores laudantia cantitabant. Ad haec Cicero: « Discebamus pueri duodecim, ut carmen necessarium, quas iam nemo disicit »,⁵ et Nonius: « [Aderant] in conviviis pueri modesti, ut cantarent carmina antiqua, in quibus laudes erant maiorum, assa voce et cum tibicine ».⁶ Item Valerius Maximus: « Quas Athenas, quam scholam, quae alienigena studia huic domesticae disciplinae praestellerim? inde orientabantur Camilli, Scipiones, Fabricii, Marcelli, Fabii, ac ne singula imperii nostri lumina simul percurrendo sim longior, inde, inquam, caeli clarissima pars, divi Caesares »,⁷ hanc institutionem iuventuti perutilem commendans.

Nunc pauca de magistris. Sed in ipso disputationis limine, illud Titi Livii, anno U. C. 444; « Habeo auctores vulgo tum romanos pueros, sicut nunc graecis, ita etruscos litteris erudiri solitos », confutandum esse arbitror.

Re enim vera primo quod nihil certi quid commune inter tuscum romanumque populum intercederet ac de utriusque populi moribus traditum est, tum quod hoc nequaquam fieri posse videatur, Romanos nempe tam rudes omnique eruditione remotos adhuc exstisset tribus post saeculis, ut romana eius aetatis monumenta aperte declarant, si iam artes, imo omnium artium principia ex Etruscis didicissent, quorum cultura et recentiorum eruditorum et artificum admirationem excitat.

Praeterea et ipse Livius scriptorum quo-

³ De oratore, III, 20.

⁴ Noctes Atticae, lib. I, cap. 23.

⁵ De legibus, lib. II, cap. 23.

⁶ Lib. II, 70.

⁷ Lib. II, 1, 10.

rundam auctoritate confisus hoc tradit, quorum nomina vel ignorat, vel silentio praetermittere potius retur, quibus insuper se parum credere alio loco fatetur.

Postremo Cicero et Valerius Maximus nos in contrariam sententiam inducunt. Ille enim: « Etruria de caelo tacta scientissime animadvertis, eademque interpretatur quid quibusque ostendatur monstria atque portentis. Quocirca bene apud maiores nostros senatus, tum quum florebat imperium, decrevit ut de principum filiis sex singulis Etruriae populis in disciplinam traderentur, ne ars tanta propter tenacitatem hominum a religionis auctoritate abduceretur ad metum atque quaestum ».⁸

Et Valerius Maximus: « Tantum autem studium antiquis non solum servandae sed etiam amplificandae religionis fuit, ut florentissima tum et opulentissima civitate decem principum filii senatus consulto singulis Etruriae populis percipiendae sacrorum disciplinae gratia traderentur ».⁹


Ex quo coniiciendum, hanc solum patritiorum eruditionem fuisse; ars enim portenta aliaque caeli signa interpretandi, praecipuum eorum munus; simul ac auspiciorum ius cuiusvis generis immunitatis fundamentum apud optimates diutius fuit. Nunc ad incepit redeo.

Quod pertinet ad magistros, ad aliquid certi hauriendum, Livium Andronicum in Livii Salinatoris familia, atque Ennium in Fulvii Nobilioris domo (quem Cato, quod secum in castra duxisset, obiurgandum esse censuit), Scipionis, Laelii et optimatum familiarem eorumque magistrum et poëtam adire oportet, qui una cum graecis litteris et ipsam earum discipline rationem Romam invexerant.

Quod affirmat Suetonius: « Initium quoque eius [seu grammaticae] mediocre existit, siquidem antiquissimi doctorum, qui

⁸ De divinat., I, 41, 92.

⁹ Lib. I, 1.



fidem et poëtae et semigraeci erant (Liniūm et Ennium dico, quos utraque lingua domi forisque docuisse adnotatum est), nihil amplius quam Graecos interpretabantur, aut si quid ipsi latine composuissent, praelegebant». ¹⁰

Iuvenilis igitur institutio litterarum in poëmatum vel graecorum interpretatione, vel a graeco in latinum sermonem translatorum recensione atque exquisitione versabatur, quod usitatum et suis temporibus esse testatur Horatius:

*carmina Livi
...memini quae plagosum mihi parvo
Orbiliū dictare.* ¹¹

Sed Plutarchus publicam scholam Romae sero apertam fuisse tradit, in qua, data mercede, pueri instituerentur; primamque Spurium Carviliū aperuisse, Carviliī Rugae libertum (qui Romanorum prior uxorem reiecit), quod divertitum Aulus Gellius¹² anno U. C. 519 evenisse contendit.

Suetonius contra serius Romanos in grammatica studia incubuisse arbitratur, primumque praeceptorem fuisse Cratetem. Quae utique sententiae inter se conciliandae esse mihi videntur, utramque enim veram esse censeo. Nimirum Plutarchus de publica schola, in qua prisci sermonis tantum rudimenta tradebantur, loquitur, Suetonius autem de schola in qua veterum scriptorum opera simul collecta inspiciebantur.

Quae cum ita sint, vetustissime institutionis principia Crateti tribuenda sunt, vel fortasse potius cuidam fato, ut ita dicam, si Suetonii testimonio fides habenda est: «Primus igitur, quantum opinamur, studium grammaticae in Urbem intulit Crates Mallotes, Aristarchi aequalis, qui missus ad senatum ab Attalo rege inter secundum ac tertium punicum bellum sub

ipsam Ennii mortem, quum regione Palatii prolapsus in cloacae foramen crus freghisset, per omne legationis simul et valedicentis tempus plurimas acroasis subinde fecit assidueque disseruit, ac nostris exemplo fuit ad imitandum». ¹³

Quo in loco animadvertisendum est Attalum anno 590 post fratribus Eumenis mortem imperium suscepisse, Ennium vero anno 584 vitam obiisse. Ex quo hoc coniiciendum est: aut Cratetem Romam illico post Ennii mortem non venisse, aut, si venerit, Attalum nondum regem, verum in regni administratione fratribus Eumenis socium fuisse.

I. I.

DE FONTIBUS IURIS ITALICI LINEAMENTA HISTORICA¹

AETAS NEO-LATINA.

Carolus Magnus alacrem navaverat operam sacrī profanisque exsuscitandis litteris, usus quam maxime opera Ecclesiae, aut huius potius impulsus hortatu; eo autem mortuo ac rursus perfracta imperii unitate, damna equidem passa sunt studia. Nihilominus compositis tandem discordiis intestinis, studia ipsa refloruerunt apud varios Europae populos; maxime vero in Italia, ubi, ut pluries diximus, lampas romana extincta nunquam est. Barbaros apostolica insomnique opera sua mansuefecit Ecclesia, eruditivit, Romanos efficit: nulli iam victores et victi, sanguine permixto ex tam multis, tam variis, tam diversis generibus genus novum, aut potius renovatum exsurgit, genus Italicum, cui Roma dedit maiestatem sollemnem et iustitiae sensum, Gallus-germanus novos impetus libertatis, Ecclesia autem Christi

vincula charitatis, atque altius semper provehendi studia. Itaque novae societati arrident amice latinae litterae; nec ethnicae modo, sed cumprimis christiana; redeunt iura, praesertim collectiones Iustinianae.

Docebantur iam antea Romanae leges, Romae potissimum, Ravennae, Bononiae in grammaticae atque rhetoricae ludi: Bononiensi scholae favit Mathildes e Cannossa, faverunt Pontifices, favitque postea adversus Pontificem Imperator; itaque facile eminuit et magistrorum peritia et alumnorum undique frequentia. Alumni in corpus convenerunt, quod, ut par erat, appellatum fuit «Universitas», cum suis leibus (*statutis*) ac regimine.

Alumnorum Universitas, aut Universitates (nam non raro plura erant apud idem Studium alumnorum, et interdum etiam magistrorum corpora) eligebant magistros et *Rectorem scholarium* (alius erat *Rector Studii*) qui esset et alumnus saltem etiam tunc quinque annos, celebs, non clericus, satis dives; Universitatis membra privilegio fruebantur fori civilis et criminalis; quod forum constituebant Rector, Magistri et Episcopus. «Doctoris lauream», qua facultas dabatur publice legendi, Universitas tribuebat sollemniter, in domo cathedrali, traditis libro, annulo et pilleo (*bireto*). Publici honores atque honestissima magistris facta erat sustentatio, qua securi possent vacare studiis: qui lecturas ex ordine mane dabant super «Digestis» aut «Codice», vespere extra ordinem et quasi exotericas. Quibus in Universitatibus excitandis, fovendis, tuendis, Romani Pontifices primas semper habuere curas.

Universitates alumnorum successivis evolutionibus factae sunt «Universitates studiorum», quae vix ac ortae sunt literae, legis enucleandae operam dederunt, prout erat in corpore iuris tunc temporis evulgato; tum literam veluti fastidientes, ad dialecticas transiere disputationes de iure,

nec sine gravi iuris incommodo; nihilominus id forte nonnihil iuvit ampliorem cognitionem et quasi evulgationem iuris romanis varias apud scholas, receptionemque apte praeparavit et simul normam praestitit qua ius ipsum feudale et ius singularem civitatum ad formam quamdam similem reduceretur; itaque affirmare possumus, neolatinam hanc periodum esse novorum iurium ad artem redactam compositionem in exemplum iuris romani et canonicici.

In Bononiensi schola, ut alias, edoceri consuevisse a magistris grammaticae et rhetoricae etiam leges et iura superius attigimus; his valididus studere coepisse fertur inter ceteros Pepo quidam post medium saec. XI, et paullo post Irnerius (inter saec. XI et XII), «magister in artibus», hortatu, ut dicitur, Mathildis comitissae, tantoque cum fructu, ut «lucerna iuris» appellaretur. Exorta interea lucta vulgo «de investituris» inter Pontificem et Imperatorem, Bononienses magistri rei ex iure decernendae alacrem dederunt operam; iure, inquam romano, quo Ecclesiā et Imperium vivere constabat. Hi quidem pro Imperatore steterunt, viam tenentes a qua successores recedere non ausi sunt; at haec fuit occasio non ultima cur tanto ardore Bononiae studia iuris romani excitarentur, non sine Imperatorum favore, nec sine Apostolicae Sedis iniuria; sed eadem quoque fuit occasio — (dixeris: o felix culpa!) — cur simul nobilissimi Ecclesiae filii, libertatem Matris defensuri, incubuerint iuri canonico evolvendo, expoliendo, complendo etiam ex iure ipso civili; mirum equidem atque alacre studium, ex quo mox (1139-1140) germinabit in ipsa Bononia Decretum Gratiani.

Sed ut ad Irnerium redeamus, is ante omnia studuit ut germanum assequeretur sensum verborum; quem in finem graecas didicit litteras, quae potuit exempla ope-

¹⁰ *De grammaticis*, cap. 1.

¹¹ *Eistol.*, lib. II, 1, 69.

¹² *Noctes Atticae*, lib. XVII, cap. 21, 26.

¹³ *De grammaticis*, 1.

¹ Cfr. fasc. mens. decembr. MCMXXXV,

ris Iustiniani collegit atque aliud cum alio contulit, textum vigilantesime perscrutatus, locisque parallelis collatis simul, ut intimum legum sensum attingeret. Magistri exemplum sequuti sunt alumni; quibus quo facilius succurreret, notulas ipse in suo textu scribebat, quem illis tradebat visendum aut exscribendum; nondum enim typorum ars inventa fuerat. Quae notulae, quum plerumque verborum explicarent sensum, appellatae sunt «glossae»; ita enim appellabantur etiam quae in grammatica et rhetorica ad linguam (*γλῶσσα*) explanandam aut latinam aut graecam præbebantur. Legum glossae aut «interlineares», erant, aut «marginales»; quod planum est; «parallelae» si parallelos revocarent locos, aut «variantes», si aliis verbis redolerent sensum legis. Quum autem «Novellae» non tanti fierent quanti Digesta et Codex et Institutiones, ne ad plura mentes distraherentur, coepit Irnerius, aliqui sequuti sunt, a Novellis distracta summaria, et etiam a Codice, adnectere aut subtexere locis parallelis Digestorum, dictaque sunt «authenticae», quia desumpta ex collectione Novellarum, cui nomen erat «Authenticum». Sed et longiores apponebantur adnotaciones, quasi commentarium perpetuum atque ad rationem revocatum, cui nomen datum est: «Apparatus». Porro «Glossatores» suas glossas signare solebant sibi propriis siglis (v. g. A pro Alberico, *Ub. bn. pro* Uberto Bononiensi); et seiunctim a textu edidere *Summas*, *Casus*, *Brocarda*,² *Quaestiones*, *Dissensiones*, *Praelectiones*, aliaque id genus; magnum equidem opus, ad explicationem maxime, nec profecto ab erroribus immune, tum in ordine historico et critico (quippe utraque haec disciplina multo recentior), tum in ordine civili ac sociali, quippe rerum romanarum cupiditas

² Hoc vocabulo appellata sunt brevia quaedam effata, quasi totidem regulæ et principia iuris; non tamen extra quamlibet dubitationem aut controversiam.

quidquid romanum erat barbarum habebat, nec ius societati ac temporum adiunctis, sed societatem iuri vetustissimo detorquere in omnibus studebat, quasi per duodecim ferme saecula nihil prorsus boni esset actum, quasi Ecclesia Christi nihil in hominum societate esset operata. Attamen Glossatorum opus maxime est laudandum; nam ius e cunis atque vagitibus grammaticae in propriam ac liberam restituit vitam, ad fontes genuinos scientiam reduxit, positivaque ratione eosdem per vestigavit; ita tamen ut peculiari normae quasi viam appararet expeditam, ut huic scholae quamplurimum deberent novissima iura, nec quisquam haec assequi probe possit, nisi inde ore pleno hauriat.

Fatendum candide est, Glossatorum lectionem mirum in modum mentem aperire, multoque magis prodesse, quam neotericorum complurium, eorum opera perlegerere.

S. ROMANI.

SAPIENTUM PERVESTIGATIONES A RADIOPHONICA VATICANA STATIONE LATINE VULGATAE

NOTITIAE.

DE HUMANA PHYSIOLOGIA AD INGENTES ALTITUDINES.

Prof. A. Herlitzka operam dedit studio status physiologici hominis ad permagnas altitudines.

Ad hunc finem aëreum spatium in quatuor libramenta dividit, quorum primum pertingit usque ad altitudinem ubi pressio sit dimidia atmospherae; in hoc libramento vita hominum satis commode evadit.

Progredivendo in altitudinem usque ad pressionem tertiae partis unius atmosphaerae, exsurgunt physiologicae perturbations, quae etiam mortem producere pos-

sunt, dum 8.000-8.500 metrorum altitudinis attinguntur.

Altius vita duci potest tantum oxigenii, vel commixtionis ex oxigenio et anydride carbonica ope.

Quum pressio imminuit infra octavam unius atmosphaerae partem, respiratio fieri potest solummodo si aeronauta e circumstanti aëre omnino seiungatur.

Ex examine experimentalis gasium in aëre alveolari permanentium deduci potest, ultra 13.000 circiter metrorum iam non posse hominem sine vitae discriminé diu commorari.

DE CAUSA EVERSONIS TEMPLI VENERIS GENITRICIS.

Prof. G. Agamennone, ex pervestigatione positionis, in qua quaedam potiores partes columnarum templi Veneris Genitricis Romae repertae sunt, illud, sicut alia templa, a vehementissimo motu terrae eversum opinatus est.

DE CORALLIO RUBRO FOSSILI.

Accurato quodam studio historicobibliographic circa corallium rubrum fossile Prof. A. Neviani commentatur 27 scripta, in quibus de corallio rubro fossili (vel de specibus affinibus) aliquid dictum est.

Scripta his Auctoribus pertinent: Scilla A. (1670); Scheuchzer Ioh. Iac. (1723); Moro A. (1740); Vallisneri A. (1733); Spada Ioh. Iac. (1744); Bovi R. (1769); Wallerius Johan. Gotsch. (1778); Michelotti G. (1838); Michelin Hard. (1840-1847); Michelotti G. (1847); D'Orbigny A. (1852); Pictet F. I. (1857); Seguenza G. (1863); Sismonda E. (1871); Capellini G. (1875); Targioni Tozzetti A. (1880); Seguenza G. (1881); Canestrini Joh. et Ricc. (1883; Neviani A. (1886-1887); Sacco F. (1889); de Angelis d'Osset G. (1894).

Concludit Auctor corallium pallidum, corallium sepultum, cor. sulcatum, cor. inaequale, et fortasse etiam cor. Beckii, idem

esse, aut ad summum nonnisi varietates vel mutationes corallii rubri.

DE NOVA METHODO IN GASOLINA PRODUCENDA.

Societas *Imperial Chemical Industries* in Billingham, initiv hydrogenationem creosoti, et die 9 aprilis 1935 emisit primum 300.000 mensurarum ex gasolina quam ex hac hydrogenationis methodo obtenta est.

Eadem Societas hydrogenium immittet quotannis in quamdam carbonii fossilis quantitatem (circa 350.000 tonnarum) et producit triginta millia millium ex ipsis gasolinae mensuris.

Agitur de experimentis, quae tantum scientiam, quamvis quantitate ingenti, non vero ceconomicam rationem respiciunt.

DE QUIBUS DAM METALLORUM REACTIBUS.

Prof. Serra A. praeclera experimenta perfecit circa potestatem reagendi in statu solido et ordinario calore, cum his metallis: realgar, antimonites, chalchosinas, haurites, marcasites et pyrolysites.

Horum metallorum pulvis minutus, fila aeris, ferri, argenti, nichelii et plumbi testigunt; et post 20 dies metitus est Auctor reactiones quae evenerant comparatas cum resistentiis electricis.

Diversa autem fuit reactio, quae evenit super laminam argenteam attinctam a pulvere antimonitis.

DE VEGETALIBUS SUB LUCE WOOD.

Doctor M. Tramontano-Guerritore investigavit in substantias, quae sub luce Wood fluorescentes evadunt, in vegetalibus contentas.

«Fraxino excelsiore» extraxit glycosidem «fraxinam», quae solutionibus aqueis dat intensam fluorescentiam in zona ultravioletace; haec tamen fluorescentia postea aliquantum deficit. Idem accidit in «fraxetina», quae ex illo glycoside paratur.

MEDICAE NOTAE

Protrahendae vitae praecpta

Humanum corpus quum ad senectutem perveniat, ab ea externa internaque facie, quam iuvenis retulerat, differt omnino, ita plane ut, et motibus et compagine, agilitatem omnem amittat, aciem sensuum obtusam paene atque hebetem experiat. His namque florentis iuventae dotibus rigiditas, durities, senium denique paulatim sufficiuntur, quo tandem postremo ad obitum acclinis descensus est.

Proprium enim est senectutis, eiusque quasi peculiarem notam constituit, sedimenta quaedam fibrillarum in iuncturis terrea atque salina e phosphato plerumque atque ex calcis carbonato, vel e magnesia, vel e similibus coalescere, quibus sensim accumulatis, amissio illa totius flexibilitatis totiusque motus efficitur, qua praecipui vitae actus cohibentur, et mors naturaliter paratur. Haec est enim physiologis et philosophis medicis generalis opinio de senectutis natura; quamquam adnotandum est, unam hanc causam ad senectutem procurandam minime sufficere, quum in senibus una eademque aetate maturis, dissipata omnino atque distincta phaenomena illa et vario gradu effecta reperiantur, ac decrepitis quibusdam octoginta vel septuaginta annis onustis, plurimis haud raro sociandi sint, qui vix decimum lustrum expleverint.

Quamobrem medica disciplina haud prohibetur, quin protrahendae vitae leges tandem aliquando inveniat, quum ipsas iam nobis liceat his praecipue complecti verbis. Quo magis homo cibum sumens, calcis particulas hauserit, eo magis sanguis eius calcareis huiusmodi elementis conflabitur, exsurgetque inde rigida illa hebesque ineptitudo, qua senes efficimur et praematura morte multamur. At si, contra, delecti ad alendum cibi minimam calcis portio-

nem contineant, minor etiam in sanguinis fluctibus ea erit, et quae in variis corporis nodibus insidet minuetur, vitamque longius progrederi sinet.

Quodsi quis sciscitataverit qui sint igitur ad hunc finem assequendum aptissimi delegendi cibi, tria haec memorasse iuvabit:

I. Parco cibo utendum, atque ipso non nisi quantum ad vitam servandam sit satis, ternaque in dies vice nunquam frequentius.

II. Pane et pastillis ceterisque e frumento paratis cibis moderate vescendum.

III. Fructus unaquaque vice sumendi; imo et ab illis initium et cum iis finis: qui enim assidue fructibus vescetur, ait De Lacy, morbos complurimos facile a se arcebit.

Nec satis; postquam enim complurima exempla longissimae vitae tum ex hominum, tum ex animalium historia e summa antiquitate ad nostros usque dies medicus ipse depropnserit, hanc ipse sententiam patefacit: oxygenum, quo, spirando, alimus, cum urendis corporis nostri substantiis occurere, earum consumptionem efficeri cibique necessitatem provocare. Atqui, quum in cibis multa terrea elementa et obstruentia adsint, cum his praecipue aer oxygenum coalescere atque durum effici, et rigidam morti sternere viam. Quibus detrimentis ut obviam eamus parco cibo utendum nobis est, eo immo qui terreis his elementis quam maxime sit expers. Attamen iuvare supramodum ad finem assuritur aqua arte et fistulis purgata: hanc bibamus, phosphoreisque cibis frequentius utamur, quum phosphorum senectuti praecipue deesse noscatur, eiusque deficienciae certe mederi oporteat.

At supremum totius rei iudicium, quamvis multa heic sint prudentissima effata, officinae anatomicae et chimicae experimentis committendum est, quibus tantum nos tute edoceri licebit qua potissimum vescendi ratione brevem hanc humanam vitam fauste protrahamus.

R. S.

COLLOQUIA LATINA¹

XX

Frustratio petiti atramenti.

SIMPLICIUS, ZEPHYRINUS.

SIMPLICIUS. — Magnum apud me beneficium poneret, qui pauxillum atramenti in vasculum hoc meum, qui pene exaruit, infundere de suo dignaretur. Tu, Zephyrine, quoniam circumfers atramentarium instar lampadis, aut mortarii, vastum et amplum, ne deneges mihi ad incitas redacto, quam submissus peto stipem seu elemosynam.

ZEPHYRINUS. — Vix quarta pars horae praeteriit, quum alias idem quoque me poscit; et dedi. Nunc si tibi similiter dederi, veniet tertius, deinde quartus, deinde quintus, et ita me exarmabit omnino, et mendicitatem mihi afferetis.

SIMPL. — Non venient: interpono fidem meam.

ZEPH. — Qui scis?

SIMPL. — Vidi, quum intigerent calamitos, referre eos ex atramentariolis madidissimos.

ZEPH. — Quin aquam infundis?

SIMPL. — Exeundum esset e schola currendumque ad fontem propter sex aut septem aquae guttulas.

ZEPH. — Heu! quod incommodum!...

SIMPL. — Da si quid das, et si vis dare bis, da cito semel.

ZEPH. — Aliam querum excute, aliunde exora quo indiges: atramentum hoc mihi coxi, non tibi.

SIMPL. — Saltem da mutuum, si non vis gratuito, rem tantillam.

¹ Ex IACOBI PONTANI opere, cui titulus: *Progymnasmata latinitatis passim retractavit hodiernisque moribus aptavit I. F.*

ZEPH. — Pergin, aures tundere? Abi hinc.

SIMPL. — Aliquando tu etiam egebis aliquo; tum accedito ad Simplicium; par pari referet. Spectate huius Zephyrini inhumanitatem et avaritiam: ego te pro istis factis mactabo infortunio.

ANNALES

Italiam inter atque Aethiopiam discrimen.

Makallè oppido in Italorum ditionem reducto, De Bono Imperatoris singulare munus quum esset perfectum, is in Italiam rediit, locumque cessit novo supremo duci Badoglio, viro strenuo, prudentis consilii, atque in bellicis rebus optime versato. Qui quidem non ad universum periculum hostem provocare, sed eum levibus pugnis fortuitisque proeliis laceссere, eius munimenta evertere consiliaque miscere studet. Ita Abbi Addi, Tembien regionis caput, Addi Encalò oppidum, apud Tacassè flumen, aliaque loca hic illic occupata sunt, Italicaeque acies ad Uarien in ipsa Tembien regione pervenerunt, sese cum Abbi Addi victoribus sociis coniungentes. In Somalia autem prolati fines in Ogaden provincia usque ad Baue fluminis vallem.

Interim Gallus Anglusque exterarum rerum administrari rationes conciliandae pacis simul excogitant eosque ad Abyssinorum imperatorem, Italiam, Nationumque Societatem transmittunt: reiicit ille, dumque eas aliae partes duae in examen adducunt, anglicus legatorum coetus legibus feren-dis tam acerrime in suum administrum invehit, ut ad mandatum suum relinquendum coegerit. Ita consilia citius quam credi posset — non enim et Italiæ probanda profecto videbantur — in irritum cesserunt. Hoare administro Eden successit,

cuius severitas in Italiam nota est, faxit que Deus ne ea in peius res vertat: Itali enim casibus omnibus occurrere parati sunt, innumerisque id argumentis demonstrant. Satis sit memorare ingentissima auri munera, quae ad publicam sustentandam pecuniam libere patriae dono dant, exemplum Augustae suae reginae sequentes, quae ipsum nuptiale annulum offerre non dubitavit.

Novum in Graecia regnum constitutum.

Georgius, Graecorum rex, ovante atque gratulante populo, regnum iterum suscepit, atque magnanima actione auspicatus est; veniam nempe et immunitatem concedendo omnibus captivis ex intestinis civilibus causis, ipsique Venizelos, qui capit is damnatus quum fugam in tempore capessisset, exsul a patria vivebat; in eam rediens declaravit cum suis a studiis civilibus in posterum omnino se facessitum.

Aegyptiorum motus.

Aegyptiorum rex Fuad, Anglicis oppositionibus vicit, regni constitutionem anni MCMXXIII restituit; motus itaque ad rem desiverunt; nunc vero repetitur eiusmodi foedus cum Anglia, per quod Aegypti iura sarta tectaque futura sint.

Cecoslovacorum reipublicae praeses substitutus.

Cecoslovacae reipublicae Praeses Masaryk, cui cives cognomen tribuere liberatoris, ob provocatam aetatem infirmamque salutem a munere se abdicavit, successoremque suum Benes, civilis consilii supremum administrum, suasit, qui reapse in eius locum suffectus est.

In inferiore America seditiones.

Russorum emissarii in inferiore America seditionem in Brasilia republica excitare conati sunt, quae tamen brevi compressa est; quumque Uruguay reipublicae gubernium idem in civitate sua parari cognovisset, civiles nationis sua rations cum Moscovitis abruptas sine mora declaravit.

Optime quidem!

POPLICOLA.

VARIA

Quantum persaepe a veritate aberrant hominum opiniones de rebus magni momenti conceptae.¹

Quam saepe errare soleant homines, quum de rebus magnis disserunt, neverunt omnes quicunque huiusmodi consiliis interesse consueverunt. In hisce enim nisi adhibeantur excellentium virorum iudicia, facilime aberratur. Persaepe vero etiam accidit, ut summi viri, pacis tempore, in multorum odium incurant, ac prope negligantur, in corruptis praesertim civitatibus; quamobrem instituuntur tunc deliberationes de summis rebus tales, quae favoris atque gratiae plus habeant, quam quod ad publicam utilitatem sint accommodatae. Patefunt autem hi errores postmodum, adversis temporibus, in quibus necesse est plerumque ad eorum consilium configere, qui pacis tempore negligebantur. Incidunt etiam inter deliberandum accidentia et causas quidem, propter quos facile labimur, nisi singularem rerum experientiam habeamus, quod apti sint probabilitate quadam hominibus id persuadere, quod ipso re-

¹ Ex NICOLAI MACHIAVELLI opere *De republica disputationes ex prima decade T. Livii*, latine reddidit H. BINDI.

rum eventu falsum esse postea ostenditur. Atque haec in eum finem dico, ut expendamus Numisii Latinorum Imperatoris consilium de renovando bello cum Romanis, postquam caesi fuissent. Atque etiam id, quod multi fere opinabantur, quum ante paucos annos Franciscus, Galliae Rex, ad recuperandum Mediolanum adversus Helvetios in Insubriam proficii statuisset. Nam quum, Ludovico XII vita functo, Franciscus in regnum successisset et Mediolanense Imperium, ab Helvetiis paulo ante occupatum, Galliae regno restituere decrevisset, operam dabat, ut auxilio Iulii II Pontificis aliquos sibi in Italia conciliaret, per quos facilior sibi aditus esset ad illam expeditionem. Quum igitur Venetos ante Ludovicus in suas partes pertraxisset, et Florentinorum animos iam pertentaret, Leo X impedivit quominus illi assentirentur, quod nimis facilem Regi fore aditum putaret ad id imperium occupandum; praesertim quum et Hispani Regis Gallici nomine iam Insubriam ingressi essent, et Imperator iam Veronam pervenisset. Persuasus enim erat a suis, si neutram partem sequeretur, certam habiturum victoriam. Neque enim ex usu Ecclesiae Romanae esse, ut praepotentes aliqui in Italia regnarent, sive Rex, sive Helvetii; utrosque ergo eiiciendos esse, ut in pristinam libertatem Ecclesia posset restitui. Sed quum simul ambo superari non possent, neque etiam singuli, ut tunc res sese haberent, expectandam occasionem commodiorem: fore enim ut si inter se Rex et Helvetii paelio dimicarent, alter eorum succumberet; alter vero etsi vinceret, tamen ita caesum et viribus imminutum iri, ut tunc a Pontifice facile deleri posset. Commodissimam ergo illam occasionem, ac tanto melius eam arripi posse, quod Pontifex tunc instructissimum exercitum non procul ab Insubria haberet, qui illuc, sub praetextu defendendi Ecclesiae urbes, haerens, eventum pugnae exspectaret;

quam cruentissimam fore oporteret, ob utriusque exercitus sive virtutem, sive pertinaciam; fractis autem utriusque exercitus viribus, posse deinde Pontificem eorum reliquias sine difficultate delere, Insubria potiri, et in universa Italia pro arbitrio dominari. Haec erant consilia et de rebus, quae tunc gerebantur, opiniones; sed quam vanae stultaque essent eventus ipse docuit. Nam quum difficili paelio Helvetii victi essent, victorem Gallum invadere, non modo ausi non sunt nec Pontificii neque Hispani; sed ad fugam omnes se praepararunt; nec potuissent illa fuga conservari, nisi accessisset Galli humanitas, aut forte segnities, qua factum est ut prima victoria contentus, aliam non appetierit; sed cum Pontifice pacem certis conditionibus fecerit...

Cornix.

Sitiens Cornix reperit in urna grandiscula aquae non multum. Quam quum attingere arido rostro non posset, lapillos quam plurimos in urnam deiicit; quibus fundum occupantibus, ad labrum urnae aqua subiicit et potandam se cornici praebuit.

Docet famula multas res arte obtineri, quae nullae vires assequi potuissent.

Pro iudicibus mensarum elegantibus.

ESCARUM ORDO:

Minutal Gallicum.

Lactes in frixorio decoctae.

Sparus dentex elixus, Magonensi embammate conditus.

Scolopaces inter crustula assae.

Nauticus panis odoratis potionibus madidus.

Iocosa.

TUCCIUS in schola.

MAGISTER. — Vera profer, Tucci; ad pensum hoc tuum perficiendum, nonne pater tibi auxilio fuit?

TUCCIUS. — Minime quidem!

MAGISTER. — Integrum ergo tu perfecisti?

TUCCIUS. — Ne id quidem: integrum ille confecit.

TUCCIUS ad cynemathographum:

— Quid mittitur hodie?

— Mores et vita piscium oculis subiiciuntur.

— Loquuntur?

Aenigmata.

I

Pabula significo, quae iactat vel levis aura;
Rho mihi subnectas: collo dependeo tauri.

II

Sum verbum? Potero te compellare canentem.
Sum nomen? Fures a lare pello tuo.

Aenigmata mense Decembri MCMXXXV proposita his respondent: 1) *Cor-pus*; 2) *Silva*; *Silvia*.

LIBRORUM RECENSIO

JOSEPHUS MORABITO, *De Hermanni Velleri latinis carminibus* (Lycinio Cappelli editore, Bononiae, 1935-XIII).

Veller, germanus poëta, et latina carmina scripsit, quae praemiis, in Batavo certamine, affecta sunt. Morabitus ea recenset, ex quibus *Psittacus et Passer* eamdem de libertate sententiam docet, quae Phaedri fabula de cane et lupo. *Regnum paupertatis* S. Franciscum celebrat, quem et no-

stri poëtae, Sofia Alessio et Alexander Zappata, non minore quidem arte, cecinerunt. *Hospes Tarentinus*, quod carmen optimum omnium Morabito iudicat, iuvenem memorat moerentem et poenitentem, quod amicum sua uxori insidantem interficerit. Fortasse nonnulli *Natale solum* malint, quod de exilio Ovidii, Romam amissam flentem, canit. *Ad astra vitam et conversionem* narrat abbatis Rancae; *Hegesia* de philosopho, qui quum vitam malum esse iudicavisset, sententiam mutat, aspiciens caecum hominem et pauperem fidibus iucunde canere et se beatum esse profitentem. Alia carmina novas res, sed non maicre nec meliore arte, celebrant. *Daedalus et Elpenor* non modo nostram et futuram aëronauticam, sed superhumanos hominum conatus ad maximas inventiones et ausus celebrat. *Venus et Mars* tempora illustrat, quae, post furores et caedes quinquennialis belli, non tantum quieti et honestis otiis et studiis, sed lasciviis et improbis voluptatibus dedita fuerunt. *Europa* non omnino claram fabulam de Europa fingit, qua recentiores nostra regionis errores et vitia reprehendit.

Alia, post haec, carmina Vellerii Morabitus paucis verbis memorat. Wellerius, qui Ovidium magistrum et ducem maxime sequitur, potissimum distichis elegiacis, magna arte utitur et sane politis numeris et varia inventione laude dignus est. Germani eum optimum poëtam celebrant et novum Horatium et Ovidium appellant, sed minime cum Horatio, cum Ovidio, tantum elegiaco metro est comparandus.

Morabitus, quum multa laudet, reprehendit eum saepius eadem volvere et descriptionibus vel aliis obsoletis morari et saepe obscuris imaginibus, raro sensu et figuris expromere, quae nostros animos moveant.

Libellus Morabiti, quum omnino mendis non caret, tamen magna arte et studio argumentum evolvit, et sane dignus est qui summa diligentia legatur, ut nostri poëtae poëtam germanum cognoscant et cum nostris conferre possint.

Anconae.

IUNIUS GARAVANI.

IMPRIMATUR: Fr. A. ZAMPINI. Ep. Porphyreonen.,
Vic. Gen. Civitatis Vaticanae.
Dr. JOSEPHUS FORNARI, Moderator, Sponsor.

TYPIS POLYGLOTTIS VATICANIS

REGULUS

[2]

ACTIO DRAMATICA HENRICI JOSEPHI COLLIN

(In Latinum convertit VALENTINUS FEHÉR).

Dehinc petit legatus, ut redimantur milites
Utrumque mutue; Metellus consul militem
Cum milite volt permutari. Bodostor Regulum
Unum parem esse dicit castris atque eius modi
Iniustam permutationem nec volt accipere
Metelli condicionem. Tunc orditur Regulus
Loqui et captivos mutari dissuadet maxume,
Quod ex hac re plus lucretur hostilis civitas;
Per commodum rei publicae precatur consulem,
Sibi ut liceat redire captivo Karthaginem,
Neu Romani duellum deponant cum hostibus.
Suadente consule patres pacem repudiant
Nec censem captivos Romanos permutarier.
Tribunus plebis est tum Publius, gnatus Reguli.
Huic amici persuadent, ut suasioni consulis
Intercedat vitamque servet patris Reguli.
Tum Regulus suam convenit uxorem Atiliam.
Et gnatos, nec tamen movetur largis lacrimis.
Metellus interim persuadet aegre Publio,
Ne consulto senatus intercedat. Postea
Quirites Romanos in campum Martis convocat.
Hic adsunt univorsi. Tum demonstrat Regulus
Salute sancta civitatis postularier,
Ut ipse rursum captivos redeat Karthaginem.
Populus bellum decernit continuandum. Regulus
Ad navim captivos reddit una cum Bodostore.
Atilia quom istuc videt, animo relinquitur.
Hoc tantumst; iam valete: adeste cum silentio.

ACTUS I**SCENA I****ATILIA**

Iam dies splendescit supra Capitolium,
Nec Publius gnatus venit. Quam mite dormiunt!
O si vel horam conquiescere liceat brevem mihi!
O di boni, potestis hoc mihi dare.
Heu me feminam impotentem! vita quam mihi